



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

S. Vincentii Lerinensis Galli, Libellus Verè Avreus Adversus profanas Hæreseōn novationes

Vincentius <Lerinensis>

Coloniae, 1652

Quid & Tertullianus mutata sententia magna fuerit in Ecclesia tentatio.
Capvt XXIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55177)

Quid & Tertullianus mutata sententia magna fuerit in Ecclesia sententio.

CAPVT XXIV.

¶ Sed & Tertulliani, quoque eadem ratio est, nam sicut ille apud Græcos; ita hic apud Latinos nostrorum omnium facile princeps iudicandus est. Quid enim hoc viro doctus? quid in divinis, atque humanis rebus exercitatus? Nempe omnem philosophiam, & cunctas Philosophorum sectas, auctores, adseratoremque sectarum, omnesque eorum disciplinas, omnem historiarum, ac studiorum varietatem, mira quadam mentis capacitate complexus est. Ingenio verò nonne tam gravi ac vehementi excelluit, ut nihil sibi penè ad expugnandum proposuerit, quod non aut acumine intruperit, aut pondere eliserit? Iam porrò orationis suæ laudes quis exequi valeat? Quæ tanta, nescio, qua rationum necessitate conferta est, ut ad consensum sui, quos sua-

suadere non potuerit, impellat: cuius quot penè verba, tot sententiae sunt: quot sensus, tot victorie. Sciunt hoc Marciones, Apelles, Praxeas, Hermogenes, Iudaei, Gentiles, Gnostici, caeterique, quorum ille blasphemias multis ac magnis voluminum suorum molibus, velut quibusdam fulminibus evertit. Et tamen hic quoque post haec omnia, hic, inquam, Tertullianus, Catholici dogmatis, id est, universalis, ac vetustae fidei parum tenax ac disertior multò, quam foelicio, mutata deinceps sententia fecit ad extremum, quod de eo beatus confessor Hilarius quodam loco scribit: Sequenti, inquit, errore detraxit scriptis probabilibus auctoritatem. Et fuit ipsa quoque in Ecclesia magna tentatio. Sed de hoc nolo plura dicere. Hoc tantum commemorabo, quod cõtra Moyse præceptum exurgentes in Ecclesia novellas Montani furias, & insana illa insanarum mulierum, novitii

do-

dogmatis somnia, veras propheti-
as adleverando meruit, ut de se
quoque, & scriptis suis diceretur: Si
surrexerit in medio tui propheta.
Et mox: Non audies verba Prophe-
ta illius. Quare? Quia, inquit, tentat
vos Dominus Deus vester, utrum
diligatis eum, an non. His igitur,
tot ac tantis; cæterisque eiusmodi
Ecclesiasticorum exemplorū moli-
bus evidenter advertere, & secun-
dū Deuteronomi. leges luce clarius
intelligere debemus; quod si quan-
do aliquis ecclesiasticus Magister à
fide aberraverit, ad tentationē id
nostram fieri providentia divina
patiatur: utrum diligamus Deum,
an non in toto corde, & in tota
anima nostra.

*Quis sit verus Catholicus & quod ebul-
lente haeretica novitate statim cer-
natur frumentorum gravitas, &
levitas palearum.*

CAPVT XXV.

Quæ cū ita sint, ille est verus
& germanus Catholicus, qui
veri-